



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Argum oculeum, & cælum stellatum imaginem esse Dei omnia  
videntis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

be, Iudicijs cælestibus discamus dicere: *Memor fui Iudiciorum tuorum a seculo, Domine, & consolatus sum*: deinde, vt etiam hinc Deum timeamus, & veneremur, cuius *oculum* nemo fugit. Siquidem, teste Lactantio, *Nemo iudicium Dei potest nec viuis effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & viuos precipitare de summo, & mortuos aternis afficere cruciatibus. Nec de sede potentes tantum deponit*, quando è vita eos eijcit, sed in ipsâ etiam vitâ viuos, dum gubernat, iudicat; dum iudicat, alios in throno, alios collocat infimo; quos iure infimos possis appellare. Hoc Psaltes cecinit, cum dixit: *Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur*. Ad hoc de cælo in terram prospicit, ad hoc oculi illius, in omni loco, contemplantur bonos & malos.

Hac ipsa de causa, vt testatur Cyrillus Alexandrinus, apud Ægyptios, *Virga oculata* Dei hieroglyphicum fuit. Quod etiam Pierius Valerianus affirmat; nec Sacræ litteræ tacuerunt. *Fecisti malum in oculis Domini*, ait Samuel ad Saul. Et Salomon: *Omnes via hominis patent oculis eius: Spirituum ponderator est Dominus*. Nullis tenebris fallitur; nullis angulis excluditur; adamantina claustra peruadit visu; aheneos muros penetrat acie oculorum; ipsos spiritus grauitate carentes, ponderat, & in statera appendit. Et Ecclesiasticus: *Est homo marcidus, inquit, egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi*.

Argo Pastori centum oculos Poëte dederunt, vt cælum exprimerent stellis oculatum; cælo autem tam oculato quis, nisi cæli Conditor, in oculos nostros mittitur? Si enim, apud Ezechielem, animal plenum oculis antè & retro, pastoris vigilantiam significat; si, quemadmodum Antiochus loquitur, oportet, vt Pastor totus sit mens, oculisque; *virgam, seu baculum gestet oculatum & vigilantem, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum reijcula fiat, & indigna, que recipiatur à Domino, per oscitantiam*; quanto magis pastor totius Vniuersi debet totus esse mens, oculisque. vt totum peruideat Vniuersum? Nec videt tantum, sed etiam omnibus omnia prouidet, sed disponit, sed regit, sed administrat æquissimè. Atque hoc est, quod *oculo*, quod *Iudicio* illius hîc indigitamus.

Psal. 118.

Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 20.

Psal. 102.

Prou. 15. 3.

XI.

Cyrill. Alex. 9. contr. Iulian. Pier. lib. 33.

1. Reg. 15. 19  
Prou. 16. 2.

Eccl. 11. 13.

XII.

Ezech. 1. 18. & c. 10. 12.  
Antioch. hom. 3.